



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quarto Decretalium : In Quo De Sponsalibus, Et Matrimoniis, & quae eis annexa sunt, agitur, eadémque plenè, & theoricè explanatur, & declarantur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1678

Titulus. III. De Clandestinâ desponsatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98293)

rium probaverit, c. Continebatur. 6. h. t. n. 22. & 23. Juramento viri dicentis se copulam habuisse cum impubere non est standum; declaratur cit. num. 23. Tertiò si contractum est matrimonium ab aliquo ante pubertatem, etiam cum nifu ad carnalem copulam, illud non est validum, nisi mulier per idoneos testes probaverit, quòd juvenis ille ante finem anni XIV. in eam consenserit, juramento ab ipso recepto, quòd postquam ad legitimam ætatem pervenit, illam uxorem habere noluerit, tunc enim ab impetitione mulieris est liberandus, & potest uterque ad alias nuptias transire, c. Attestationes. 10. h. t. n. 24. & declaratur n. 25.

§. VI. Proponuntur, & explicantur alia Capitula hujus Tituli, in quibus agitur de desponsationibus impuberum.

Præterea quartò sponsalia contracta cum minore septennio per mutuam cohabitationem post septennium convalescunt, & inducunt publicæ honestatis justitiam, dissolvuntur tamen per matrimonium de præsentì initum priora sponsalia ante pubertatem contracta. Quòd si constet, quòd vir mulierem cognoverit, neutri, vivente altero, licet aliud matrimonium inire propter delictum utriusque. Item qui sine judicio Ecclesiæ uxorem dimittit, puniendus est, c. Duo pueri. 12. h. t. n. 26. & 27. Quintò matrimonium, vel sponsalia, quæ nondum sunt, ut si cum minore septennio contrahantur, accusari non possunt, potest tamen denunciari impedimentum v. g. consanguinitatis, ne contrahatur matrimonium, & si interim aliquid attentatum fuerit in præjudicium puellæ, id est irritum, c. Ad dissolvendum. 13. h. t. n. 28. & declaratur n. 29. Sextò denique si contrahatur matrimonium de præsentì, & puella non sit in ætate nubili, nec malitia suppleat ætatem, licet vir ei dederit arrham, non est matrimonium contractum, sed sponsalia solum de futuro, c. Tux. 14. & ult. h. t. n. 30. & 31.

§. VII. De ætate requisita ad matrimonium, & de pubertate, & quando malitia suppleat ætatem?

Quæ. I. Quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum? Resp. ætas legitima ad contrahendum matrimonium est pubertas, sive annus XIV. in masculo, & XII. in fœmina, nisi adsit aliqua urgentissima causa, ut pro bono pacis, c. Vbi non est. 2. h. t. n. 32. Duplex est expositio, cit. c. 2. I. Quòd hic prohibeantur sponsalia de futuro ante septennium, imò etiam post illud, ante pubertatem, n. 33. Altera, & verior expositio est, quòd in eo prohibeatur tantum conjunctio matrimonialis, ne scilicet matrimonium contrahant, siambo, vel alter nondum pervenit ad ætatem legitimam, seu pubertatem completam, sine causa urgentissima: potest tamen Episcopus dispensare, ut impubes matrimonio copulentur, & ad illum spectat cognitio, an adsit causa justa, cit. n. 33. Quæ. 2. Qui dicuntur, & sunt puberes, quoad matrimonium contrahendum? Resp. puberes, seu apti ad matrimonium dicuntur, & sunt, qui ex habitu corporis pubertatem ostendunt, & generare possunt, & puerperæ sunt, quæ in annis puerilibus pariunt, c. Puberes. 3. h. t. n. 34. In matrimonio contrahendo non debet spectari præcisè tempus annorum, sed an contrahens sit talis, qui generare,

vel concipere possit, & tunc præsumitur legitimis ad copulam, & ad consensum conjugum standum: imò etiam ante pubertatem matrimonium est validum, si adsit potentia generandi, & discretio rationis. In dubio ante pubertatem, nec mas, nec fœmina præsumuntur copulati, c. 35. Matrimonium contractum à pubere, & nondum possit cum fœmina carnaliter copulari, nec generare, nihilominus est validum, c. 36. Quomodo, & quando malitia suppleat ætatem, quoad contrahendum matrimonium? Respondetur, si malitia suppleat ætatem, nisi viri tercedat, c. De illis. 9. h. t. n. 36. Nomen autem communiter intelligitur non tantummodo ad copulam conjugalem, seu potentiam generandi, sed etiam prudentia, sive discretio, & iudicium ad cognoscendum statum conjugalem, & violentia in quacunque ætate incaluit, matrimonium ipso jure nullum, cit. n. 37.

SERIES CAPITULORUM

IN ANTIQUIS.	c. 10. n. 24. & 25.
c. 1. n. 17. & 2. seqq.	c. 11. n. 20. & 21.
c. 2. n. 32. & seq.	c. 12. n. 26. & 27.
c. 3. n. 34. & seq.	c. 13. n. 28. & 29.
c. 4. n. 1.	c. 14. & ult. n. 30. & 31.
c. 5. n. 3. & 4.	In Synodo.
c. 6. n. 22. & seq.	c. un. in primis.
c. 7. n. 5. & 3. seqq.	§. Idem quæ. 1. & 2.
c. 8. n. 9.	§. seq. §. 3. & 4.
c. 9. n. 36. & seq.	§. seq.

TITVLVS III DE CLANDESTINIS desponsatione.

Nomen desponsationis hic sumitur à matrimonio, quamvis aliàs propriè hoc nomen intelligatur sponsalia de futuro. Nomen verò clandestinum dicitur, quòd clauditur, idque dupliciter, vel nullis testibus, vel quia nullis præmissis denunciatum contractum. Dicitur etiam clandestinum, quòd quando contrahitur matrimonium sine solemnitatibus jure requisitis, quòd rectè nomen minus solemne vocatur, & huc non in n. 1.

§. I. An matrimonia clandestina iure antiquo fuerint prohibita, sed etiam invalida, & tione potuerint iure novo ab Ecclesiâ

ASSERTIO I. Matrimonia claustra & testibus, contracta semper quidem fuerunt, & claustra graviter prohibita, & mortaliter peccata ante Concilium Tridentinum fuerunt, & tamen plures casus, in quibus ante Concilium etiam, ubi Decretum illud non est, potest contrahi matrimonium etiam testibus, quorum quinque hic enumerantur. Aff. 2. Jure novo Concilii Tridentini de ref. matr. matrimonia clam inita, sine testibus, declarantur penitus nulla, & irrita, etiam exprimuntur causæ, ob quas hujusmodi

rimonia clandestina ab Ecclesia sunt irritata. Aff. 3. Potuit Ecclesia irritare matrimonium clandestinum initum, sine Parocho, & testibus, & de facto irritavit; etiam quatenus Sacramentum est, non quidem per se, ac directè, sed indirectè, ac per accidens, & mediâtè, annullando contractum humanum, seu civilem, unde consequenter irritum redditur ipsum Sacramentum, n. 4. & 5. ubi id declaratur. Aff. 4. Ubi prædictum Decretum Concilij Trident. est promulgatum, etiam qui illud invincibiliter ignorant, invalidè contrahunt matrimonium, sine Parocho, & testibus, n. 6. Item irritum est etiam matrimonium in articulo mortis, aut in quacunque alia necessitate contractum, absque præsentè Parocho, & testibus, quia deest forma substantialis ad valorem matrimonij requisita, n. 7. Excipi debet, nisi matrimonium semel in facie Ecclesiæ contractum fuerit, sed invalidè, ob occultum impedimentum dirimens, hoc enim postea sublato, non est necessarium, ut putativè conjuges iterum coram Parocho, & testibus contrahant, sed satis est, ut consensu prioris nullitatis occultè mutuum consensum renoveant, n. 8.

§. II. An ad matrimonium in locis, ubi Decretum hoc Concilij Tridentini non est receptum, aut promulgatum, matrimonia clandestina sint valida?

ASSERTIO I. Si matrimonia clandestina etiamnum contrahantur ab incolis in ijs locis, sive Catholicorum, sive hæreticorum, in quibus dictum Decretum non est receptum, vel nunquam promulgatum, ea valida sunt, n. 9. Aff. 2. Peregrini transientes per locum, ubi Decretum Concilij est receptum, invalidè contrahunt matrimonium, sine Parocho, & testibus, quamvis in loco domicilij illud Decretum non sit receptum, n. 10. Aff. 3. Is, qui ex loco, ubi Decretum Concilij est receptum, se transfert ad locum, in quo non est receptum, animo fingendi illic domicilium, potest validè ibidem contrahere matrimonium, sine præsentia Parochi, ac testium, sit enim illius loci incola, adeoque non astringitur amplius legibus prioris domicilij: imò etiam probabile est valere matrimonium, siquis ad tempus se conferret ad locum, ubi hoc Decretum Tridentini non est receptum, etiamsi ex intentione clandestinè contrahendi ibi matrimonium, id fiat, n. 11. Ex his deducuntur quædam corollaria n. 12.

§. III. Vtrum necessarium sit ad valorem matrimonij, ut assistat proprius utriusque contrahentis Parochus, & intra propriam Parochiam, & qualis præsentia Parochi, & testium requiratur?

ASSERTIO I. Quando sponsus, & sponsa sunt diversæ parochiæ, ad valorem matrimonij sufficit, si assistat illi proprius Parochus alterutrius, sponsi scilicet, vel sponsæ, in cujus parochia nuptiæ celebrantur; ut si in parochia sponsi contrahatur matrimonium, sufficit, ut assistat Parochus sponsi, & si in parochia sponsæ, Parochus sponsæ, n. 13. Ubi addendum t. si Parochus proprius alterutrius contrahentis assistat matrimonio, illud validum est, etiamsi in parochia alterutrius sibi non subditi celebretur, ut si Parochus Petri contrahentis matrimonium eum Anna, ei assistat in parochia Annæ, cujus non est Parochus, valet matrimonium, num. 14. Addendum 2. validum est matrimonium, cui Parochus alterius,

vel utriusque contrahentis assistit, quamvis in neutrius parochia, vel etiam Diocesi matrimonium celebretur. Ut si v. g. Civis Dilinganus cum cive Lavingana contrahat matrimonium Donawerdæ, vel etiam extra Diocesi Augustanam, Ingolstadtij, præsentè tamen Parocho Dilingano, vel Lavingano, validum est matrimonium, n. 15. Porro si proprius Parochus assistat matrimonio extra parochiam, absque licentia Ordinarij, vel Parochi loci, probabilius est, quòd peccet, & puniri possit, si solemniter, & publice assistat matrimonio, sine licentia Parochi loci, n. 16. Aff. 2. Parochus validè assistit matrimonio, etsi Sacerdos non sit, non tamen potest alteri, quàm Sacerdoti licentiam assistendi dare, n. 17. Aff. 3. Parochus etiam excommunicatus non toleratur, seu nominatim denunciatus, vel notorius percussor Clerici, item suspensus ab officio, & beneficio, vel irregularis, vel administratione interdictus, validè assistit matrimonio, & alteri licentiam assistendi dare potest, modò actu non sit depositus, sed titulum, & possessionem beneficii retineat, n. 18. Aff. 4. Probabile est, vagabundos posse validè, ac licitè contrahere matrimonium, coram quolibet Parocho, quem elegerint: probabilius tamen videtur, eum Parochum debere interesse matrimoniis vagorum, in cujus parochia pro tempore, quo contrahunt, vagantur, n. 19. Id certum est, Parochos non posse licitè vagabundos matrimonio conjungere, nisi factâ prius diligenti inquisitione de eorum statu, & habilitate ad contrahendum matrimonium, & obtentâ Ordinarij licentiâ, cit. n. 19. Aff. 5. Præter Parochum, etiam proprius Episcopus in sua Diocesi, vel alius quasi Episcopali jurisdictione præditus proprium territorium habens, assistere potest matrimonio, ut Abbas exemptus, Vicarius generalis Episcopi, Capitulum Cathedrale, Sede vacante. Item Legatus Sedis Apostolicæ, ac denique S. Pontifex per totum orbem Christianum; non autem Archiepiscopus potest assistere matrimoniis subditorum Suffraganeorum suorum, n. 20. Item Parochus Catholicus potest licitè assistere matrimoniis hæreticorum, qui in sua parochia degunt, n. 21. Aff. 6. Parochus, & testes debent esse præsentès matrimonio, non tantum physicè, sive corpore, sed etiam moraliter, cum advertentia, & usu rationis, n. 22. Neque verò ea verba Sacerdotis, *Ego vos in matrimonium conjungo*, sunt de essentia matrimonij, quia Sacerdos non est minister hujus Sacramenti, cit. n. 22. Aff. 7. Non requiritur ad valorem matrimonij, ut Parochus, alijque testes ad id vocati, seu rogati sint, unde etiamsi casu interveniant, vel omnino inviti intersint, dummodo intelligant mutuos contrahentium consensum, valet matrimonium, n. 23. Præterea necessariò requiritur, ut tres, vel duo saltem testes simul cum Parocho intersint matrimonio, & sufficiunt testes qualescunque, modò usu rationis præditi advertant, quid agatur; unde etiam impuberes, scemina, parentes, consanguinei, domestici, servi, excommunicati, Religiosi, infames, imò etiam infideles, assistere matrimonio, ut testes, possunt, n. 24.

§. IV. An, & quâ ratione denunciations publicæ præcedere debeant ante matrimonium?

Quando matrimonia sunt contrahenda, debent per Presbyteros in Ecclesia Edicta proponi, præfixo termi-

termino, intra quem qui voluerit, & potuerit, legitimum impedimentum opponat, quæ impedimenta etiam ipsi Presbyteri investigare debent. Quod si probabilis conjectura sit de impedimento, interdicitur matrimonium, donec de impedimento constiterit, c. *Cum inhibito*. 3. & *ult. in princ. h. t. n. 25*. Denunciations, seu proclamationes sunt monitiones quædam, quæ præmittuntur matrimonio contrahendo, ut si quis impedimentum novit inter sponfos, illud aperiat, n. 26. Quær. nunc 1. An denunciations sint de essentia matrimonii, vel saltem de præcepto? Resp. validum est matrimonium, etiamsi nullæ denunciations præmittantur, vel fiant, peccant tamen mortaliter, tam Parochus assistens matrimonio, quam ipsi contrahentes, si eæ non sint factæ, n. 27. Quær. 2. Ubi, quomodo, & quando fieri debeant denunciations? Resp. 1. Si sponsi ad diversas parochias spectent, denunciations in utriusque contrahentis parochia faciendæ sunt, nisi contraria sit consuetudo, ut tantum fiant in parochia unius sponsi, in qua celebrandæ sunt nuptiæ. 2. Denunciations debent fieri continuis tribus diebus festivis, inter quos scilicet non mediant alia festa, etsi intercedere possint, ac debeant aliquot dies profecti. 3. Debent fieri in Ecclesia, inter Missarum solemnias: quamvis etiam extra Ecclesiam, & die non festo, in quo tamen est frequens populi concursus, hæc denunciations fieri possint, in qua re observari debet cuiusque Ecclesiæ consuetudo, n. 28. Quær. 3. Quis possit dispensare, ut denunciations matrimonii omittantur, & ob quas causas? Resp. Episcopus, ex iusta causa, dispensare potest, juxta *Concil. Trident. Sess. 24. c. 1. de ref. matr.* Item Vicarius Generalis Episcopi, & ex quibus causis? n. 29. Si denunciations sint prætermisæ ante nuptias, tunc post nuptias ante consummationem matrimonii faciendæ sunt, n. 30. Post factas denunciations, is, qui scit impedimentum etiam occultum, illud deferre, & denunciare debet, & quando non? n. 31.

§. V. De probatione matrimonii clandestini, & ejus publicatione.

Alleganti matrimonium clandestinum incumbit onus probandi: quod si mulier neget desponsationem esse factam, vir verò affirmet, viro incumbit probatio: si verò vir neget, & mulier affirmet, mulieri incumbit probatio, c. 1. h. t. Hodie verò post *Concil. Trident.* cum matrimonia clandestina sint irrita, inanis, & frustratoria esset talis probatio, n. 32. Ecclesia non judicat de clandestinis matrimoniis, sed si contrahentes ea volunt publicare in Ecclesia, hæc recipienda sunt, & publicanda in Ecclesia, nisi rationalis causa obstat, n. 33. & 34. Publicatio matrimonii clandestini hunc effectum tribuit, ac si ab initio in facie Ecclesiæ contractum fuisset, cit. n. 34. Illi, qui prius matrimonium clam contraxerunt, & postea palam cum alio, vel alia, non sunt cogendi ad prius matrimonium, sed posterius observandum, n. 35.

§. VI. De penis matrimonij clandestini, & clam contrahentium, vel ei assistentium.

Quær. 1. Quæ sint pænæ ipsius matrimonij clandestini? Resp. Quamvis aliàs filij ex matrimonio invalido geniti, quando uterque parens, vel saltem alter bonâ fide contraxit, ignorans impedimentum, sint legitimi: si tamen matrimonium illud nul-

lum fuit clandestinum, tum filij ex eo geniti illegitimi, non obstante bonâ fide parentum, *ult. §. Si quis verò h. t. n. 36*. Prædicta autem matrimonij clandestini, ut proles sit illegitima, locum, non tantum si matrimonium nullum impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis ob aliud quodcunque impedimentum propter ea impedimenta, quæ per denunciations detegi, & cognosci possunt, n. 37. Vitium, quod coram Parocho, & testibus, missis denuntiationibus, in initum fuit, certum clandestinè, & non in facie Ecclesiæ celebratum, 38. Altera pænâ matrimonij clandestini, est, quod intra gradus prohibitos scilicet matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & penis onis consequendæ careat, n. 39. Quær. 2. Pænâ contrahentium matrimonium clandestinum, & testium assistentium? Resp. Prima est, quod dantur inhabiles, non absolute ad matrimonium, sed ad sic contrahendum, id est, ad contrahendum, in arbitrio Episcopi, n. 40. Quær. 3. Pænâ Parochi, vel alterius Sacerdotis, qui matrimonium clandestinum prohibere contempserit, cumque alius Sacerdos, etiam Regularis, sumperit interesse, per triennium a beneficiis, & si culpa exegerit, etiam gravibus sunt. Ipsi etiam contrahentes contra hunc puniendi sunt. Item si quis ad impedimentum matrimonium, impedimentum nullum jecerit, Canonice puniatur, cit. c. 3. & *ult. §. 41*. Idque declaratur, n. 42. & 43. Episcopus potest Parochum suspensum per triennium terfuit matrimonio clandestino, absolvetur.

SERIES CAPITVLORVM

IN ANTIQVIS

c. 1. n. 32. vero n. 36. & c. 2. n. 33. & seq. & §. fin. n. 34. & c. 3. & ult. in princ. seqq.

TITVLVS IV.

DE SPONSA DUORVM

§. I. Si aliqui bina sponsalia cum diversis personis contraxerint, quænam sint valida?

Resp. Is, qui successivè contraxit, debet adherere primæ: si verò prius contraxit de futuro cum una, & postea per verbum senti cum altera, debet adherere secundæ, n. 1. Idque declaratur, n. 2.

§. II. An sponsalia de præsentibus dissolvantur, si matrimonium consummatum?

Resp. Sponsalia de præsentibus, si matrimonium prius contractum, sed non consummatum, dissolvitur per subsequens matrimonium, etiam carnalem copulam sit consummatum, c. 1. n. 3. & 4. Præterea qui duas per verbum desponsavit, prius desponsatam, etiam non cognitam, habebit in uxorem, quamvis secundo carnaliter cognoverit, non obstante com-